

256

ORATIO PARENTALIS, <sup>TV</sup>

Z c  
5083

Supremo honori

Viri Praclarissimi

D. POLYCARPI  
LYSERI,

Theologiae Professoris in hac Academia,  
Episcopatus Misnensis DECANI,  
Ecclesiae Lipsiensis SUPERINTENDENTIS,  
PRÆPOSITI VVurzensis,

hoc 1633. anno, die 15. Febr.  
piè denati,

in testimonium sincerissimæ amicitiae  
dicta  
ab

HEINRICO HÖPFFNERO, SS. Th.  
Doctore & Professore publico.



LIPSIÆ  
Typis GREGORII RITZSCHII.



X 2055A 16



203.

8000

8000





207.55

*Optima Indolis ac Spei Adolescentibus  
& Pueris,*

**B. D. POLYCARPI LYSERI**  
Filiis,

POLYCARPO

LUCÆ

FRIDERICO VVILHELMO

& natu minimo JOHANNI

CHRISTIANO

CASPARO

MICHAELI

*Gratiam & Benedictionem divinam!*



Nni jam sunt viginti tres, cum  
Avo vestro, sanctissimæ existima-  
tionis Viro, in Templo Paulino pa-  
rentavi, circumfusus magnâ fre-  
quentiâ hominum, Panegyri-  
illam celebritate suâ honestantium. Nunc idem  
officium præstandum fuit *Patri*, qui non minùs  
in oculis Ecclesiæ fuit, bonorum omnium cal-  
culô, dignus

*Pyliam transcendere metam.*

Nam quicquid à DEO concessum erat dotium,  
sanè præcellentium, huc dirigebat, ut gloriæ DEI,  
& salutis publicæ, vela conatuum suorum pande-  
ret. Quapropter superiore Januario, cum ejus  
suprema deflevimus, Lipsiæ nostræ, præter cæ-

A 2

teras



teras miseras hoc quoque damnò auctæ, vicem  
 meritò commiserati sumus. Nunc sopitò non-  
 nihil moerore, laudes, quibus vivus cumulaba-  
 tur, vestræ aliorumq; memoriæ consecrare vo-  
 luit; licet pluris, quàm quanti à me oratione hac  
 sunt æstimatæ, illas esse lubens fatear: Mihi ta-  
 men, quod ingenuitas necessitudinis nostræ po-  
 stulabat, parciolem esse libuit, ne amor tantùm  
 indulgere, & non veritati litare viderer: Satius  
 enim hic est silentio peccare, ac relinquere Audi-  
 torio, quod supplere possit, quàm lenocinio ver-  
 borum fidem immodici encomii eblandiri.

Vobis autem orationem hanc inscribere  
 volui, quia hæredes estis laudis paternæ, sicut bo-  
 norum. Procul enim à vobis abesse debet obli-  
 vio degener, non nisi supinis mentibus propria  
 solensq;, ut floccum non faciant, quales fuerint,  
 aut non fuerint Majores, etiam contestatissimæ  
 virtutis homines. Ipsimet cum ætate videbitis,  
 amplum vobis campum apertum esse, ubi Patris  
 aviq; vestigia sunt relicta, quibus irrevocabili se-  
 quelâ inhærere debetis: ut taceam alios in familia  
 vestra quamplurimos, quorum exemplis ad o-  
 mnia præclara vos provocamini. De gratiâ DEI  
 & hominum, quam sacra pagina piis frugiq; li-  
 beris promittit, non est, quod solliciti sitis: Bene-  
 volentiæ

10  
206  
volentiæ Favonius ubiqve adspirat Piorum so-  
boli, dummodò disciplinæ ingenuæ se submit-  
tant, & ad quævis honesta educi se patiantur. In  
pilæ lusu, [vestræ me lubet ætati accommodare,]  
cernitis, eam tantò expeditiùs fortiùsq; remitti,  
quantò aptiùs excipitur: Sic pietas Majorum, ut  
*Clementis* illud de eleemosyna simile lib. 1. pædag.  
ad omnia benefacta extendam, reciprocâ bene-  
dictione convertitur in posteros, si probè generi  
suo respondeant. Ita ut vobis quoque eveniat,  
in optatis est. Benè valete! Lipsiæ 12. Julii  
Anno 1633.

*Vestri amantissimus*

*Henricus Höpffnerus D.*

A 3

BENE-

BENEVOLO LECTORI  
SALUTEM PL.

**P**Aulinum, Episcopum Nolanum, amicis rogantibus, ut se depingi permetteret, respondisse ferunt: Vel cupitis effingere veterem meum hominem, vel novum; Si veterem, non picturâ ille, sed latebris dignus est; si novum, ille adhuc dum imperfectus, maculis suis non caret. Idem fortè pro eâ, quâ præditus erat modestiâ, responderet Vir Amplissimæ dignitatis, & pluribus nominibus Reverendus D. POLYCARPUS LYSERUS, cujus anima jam in fasciculo viventium! si cognosceret sibi encomiò posthumò justa parari. Quæ enim pictura tacens per imitationem ostendit, eadem sermo historia per auditum exhibet, judiciò Basilii homil. in 40. Martyr. fol. 142. Ut ut autem, vivus humanæ imperfectionis Horizontem non transcenderit; virtutes tamen dotesq; variæ in illo eminentes, hoc, quicquid fuit umbrarum, gratò splendore diverberarunt. Enimverò monumentum ære perennius sibi posuit in animis auditorum, Scriptisq; publicis, quibus nominis celebritatem posteritati reliquit: vel ingratis eorum, à quibus ob sup-  
nita-

206

nitatem nullius boni claritudo agnoscitur. Unde sat  
ornatus gloriosis Manibus ex propria pulchritudine  
suppetit, etiamsi aliena laudis non accedat præco-  
nium. Nihilominus gratitudo erga defunctum postu-  
lat, ut memoria ejus sit in benedictione, & habeatur  
quasi svaavis quædam mixtura odoramenti, arti-  
ficiò unguentarii confecta; quale de Josiâ Rege à Sy-  
racide cap. 49. v. 1. prolatum encomium, omnibus de  
Ecclesiâ & Republicâ meritis rectè accommodatur.  
Nullas verò gratias illi agere possumus gratiores,  
nullam gloriam dare gloriosiore, quàm ut benefa-  
cta sic aliis commendemus, ut ardenti emulationi  
ad gloriam DEI & salutem humanam exposita,  
generosas animas proritent. Eâ de causâ Viri Beati  
res laudabiliter gestas publico Elogio breviter  
commemorare animum induxi, ut & amor nostro  
satisfaciam, & commune hujus Academiæ, imò  
plurimorum alibi doctissimorum Virorum de ipso  
estimum edisseram. Quamvis enim facile credam,  
paria mecum alios facere voluisse ac potuisse: quæ  
tamen nostra fuit necessitudo, non debuit amico-  
rum ulli concedere, ut vel remissionis, vel postremi-  
tatis vitio notata, promptiore adfectu anticiparetur.  
Huc accessit honestissima petitio totius familie, quæ  
parentationem haberi voluit ab eodem, qui nomine  
Academiæ Programma indictivum ad eundem  
piè defuncto exequias confecisset. Et suo quodam  
jure

209.

jure tale studium exegit à me Lex talionis, ut, qui  
annis abhinc quindecim in Jubileo Lutherano hono-  
res nomenq; Doctoris mihi solenniter contulerat, hoc  
etiam pietatis hostimento vicem à me aliquam re-  
ciperet.

Quapropter Magnificum Dominum Recto-  
rem, cæterosq; Proceres Reipublicæ literariæ, offi-  
ciosè rogatos cupio, ut aliis amicitia, quam cum  
Beato nostro POLYCARPO coluerunt, documen-  
tis, hoc quasi corollarium addentes, accessu atque  
audientiâ suâ dignentur orationem, quæ DEO vo-  
lente ad diem, ut vulgò nominant, Veneris horâ  
IV. pomeridianâ, in majoris Principum Collegii  
acroaterio à me habebitur. Ad eandem invito &  
florentissimum Studiosorum hujus Universitatis  
cœtum, quos ut ad omnia præclara natos novi; ita  
etiam in hoc Viro laudis & meritorum materiem,  
segetemq; uberrimam habituros esse confido. Propos.  
Lipsiæ 30. Junii Anno 1633.

HEINRICUS HÖPFFNERUS D.

Si votis







**S** I votis agere liceret, Magnifice Domine Rector, & omnium Ordinum Auditores honoratissimi, possetq; rerum series immutari, ac factum infectum fieri, nihil sanè optatius esset, quàm non præberi ansam meo in hanc cathedram ascensui ad præsentem parentationem ! Utinam enim ! atqve iterum utinam in vivis esset, cujus mortem tot fletibus deploravimus, cujus memoriam tot desideriiis revocamus, D. POLTCARPUS LYSERUS, vir omni laude cumulatissimus ! Vos omnes testor, qui in oculis habuistis virum, magnis dotibus à DEO instructum ; Et qualis in templo, qualis in Cathedrâ Academicâ, qualis deniqve in aliis suis muniis, inq; privatâ vitâ fuerit, probè novistis : Vos concionibus ipsius avidiùs affectos mirificè permovit, ut hinc etiam ab universis benè audiret, gratiamq; debitam iniret : Vos ejus in docendo solertiam, in dicendo peritiam, in eloqvendo lepores, in invenièndo promptitudinem, in judicio elegantiam, in pronunçiendo memoriam, in agendo prudentiam, in exeqvendo constantiam estis mirati ! Qvis ergò præmaturi hujus obitùs cordatus æstimator, irati Numinis judicium non agnoscat ? qvis acerbum damnum, quod Ecclesia fecit, ex intimo corde non defleat, ac se in partem ejus venire sentiat ? Qvis ob geminæ vastitatis, quam hostis nobis intulit, lacrymabilem hanc appendicem non exclamet ? *Abyssus abyssum invocat !* Qvis non doleat, civitati ademptum esse illum, qui labantem tam firmis solatiis erexit, fidis precibus statuminavit, sanis consiliis adjuvit,

B

cùm

cùm hæc tecta, hos focos, has aras, hæc templa, quæ æternitati consecravit Antiquitas, flammis atque incendio Bellona destinaret? O minimè vanum prodigium! quod anno priùs in fossæ, urbem ambientis, eo loco cernebatur, quem postica pars ædium nostri *Superintendentis* attingebat! Nimirum aqua in sanguinem versa, manabat propè totum eum tractum pomœrii, quò ædificium illud Thomanae Parochiæ cingitur; ingenti fæto abominabilis. Sed cùm irrevocabilis sit hæc Fati Lex, oportet nos potiùs in patientiâ nostras animas possidere, quàm his & illis querimoniis lineam in lugendo mortuo transilire, gentilium more. Neque enim defuncti Manibus gratum accidere potest, si de providentiæ divinæ magisterio, nostris quibuscunqve obtentibus detrahamus; vel ejus beatitudo imminui, si fibulam ponamus immodico luctui. Quin potiùs hoc agamus, ut DEO pro hoc viro gratias dicentes, ea, quæ ipse docuit, quæq; Ecclesiæ præstitit, gratis cogitationibus ac sermonibus celebremus, & expressis vestigiis prosequamur ac imitemur.

Quare & à me nunc absit elingvis dolor, qui hucusque meum distinuit propositum, ac sinat eloqui ea, quæ ad laudes defuncti faciunt! Hoc autem conanti mihi benigna dicendi materies offertur, sive *patriam* illius, sive *parentes*, sive *cognatos*, sive *conjugium & conditionem rei familiaris*, sive *res gestas* contuear. Quid enim est *Vuitebergâ*, ubi primùm lucem adspexit, celebratius? Quid *familiâ* ejus honoratius? *Parens* Theologus incomparabilis, & multis nominibus meritissimus; *Mater Cranachia*, celeberrimorum sui temporis pictorum stemmate orta; *Fratres* ambo Doctores Theologiæ clarissimi; *Unus* Canonicus Misnensis, & Ecclesiæ Ilenburgensis Superintendentens:  
*Alter*

113  
242.515

*Alter* in Academia Vuitebergensi Professor celebratissimus: Reliqui proximo sanguinis & affinitatis nexu juncti, magnæ autoritatis, secundæ existimationis, ac lautæ fortis. In conjugio quid defuit ad prosperitatem? *Marita*, pia, fida, *οἰκονομος*: *Soboles* copiosa, proba, ingenua, quæ se in spem Reipubl. Christianæ sinit educari: Denique *familiaris rei* ea facies fuit, ut in *humana felicitatis exemplum*, allegari possit. Verum quia *ο μακαρίτης* à propriis donis est æstimandus, nolo in his plausibilibus argumentis luxuriare; sed omnem istum ambitum jam lubens præteribo. Alioquin familiam, & cætera, quæ externa sunt, & aliena laudarem, non ipsum Collegam nostrum. Ideo potius à *donis*, quibus præditus erat, ipsum spectandum exhibebo, eo imprimis, quòd fuerit *salutare Organum Ecclesie*, per quod non Principes, non patria, sed DEUS ipse locutus est, dum ei procurationem animarum commisit. Non autem expectabitis à me, *Auditores*, lenocinia verborum, aut pigmenta Rhetorum, sed castum & modestum dicendi genus, quod rem ipsam apertâ ingenuâq; veritate visendam præbet, quale ipse defunctus approbaret, si loqui nobiscum posset. Idq; ut Vos quoque gratum habeatis, & me de POLYCARPO verba facientem benevolâ dignemini audientiâ, etiam atq; etiam rogo.

Viguit apud Hebræos simul aliasq; gentes hæc ab omni ævo consuetudo, ut nomina hominibus impone-  
rentur ab *eventu*, vel *præterito* & *præsente*, cujus monumenta esse debebant; vel *futuro*, cujus appreciationem symbolicam in optimum omen acciperent nominati: Sic *Adam* à *terra virgine*, unde conditus erat; *Noachus* à *solatio*, quod parentes ab illo sibi pollicebantur; *David* à *dilectione*; *Johannes* à *gratiâ* nomen obtinuit. Græcis autem *Gregorius*  
B 2 quasi

quasi vigil; *Chrysostomus* quasi os aureum, ob eloquentiam; *Callimachus* à pulchrâ pugnâ; *Polycarpus* à multo fructu dictus est. Etli enim ex ipsis appellationibus non debent esse suspensæ hominum mentes, ut inde Fati legem accipiant; placet tamen τοῖς ὀνομαθέταις, tali suos insignire nomine, quod ad ea, quæ ipsis vel vovent, vel observatu necessaria ducunt, per omnem vitam continuum sit incertivum ac memoriale. Eandem spem & de filio suo præcepit vir plurimæ dignitatis, *D. Polycarpus Lyserus Senior*, duorum Electorum Saxonæ, *Christiani II.* sacratissimæ memoriæ, & qui adhuc in vivis est, atque ô diu sit! *Johannis Georgii*, Domini nostri clementissimi, Consiliarius Ecclesiasticus, & Theologus supremus, quando filio suo *POLYCARPI* nomen indidit. Nihil enim magis in votis habuit, quàm ut hic filius esset velut arbor plantata in domo Domini, quæ plurimo fructu aufereret, inq; Ecclesiæ pomœriis propagines suas dilataret. Ac quia ipse parens idem nomen gerebat, commonefacere insimul voluit filium, ut tanquam sui viva imago se parentem olim etiam exemplo referret: quin & sanctis vestigiis *Polycarpi*, Martyris constantissimi, & Episcopi Smyrnensis, insisteret. Non quidem deerant momenta rationum, quæ ipsum ab hoc instituto avocare potuissent: Nam illustrissimi Duces Lünæburgenses, *ERNESTUS* & *AUGUSTUS*, qui tunc studiorum gratiâ Vuitebergæ versabantur, non obscure inuebant, malle se infantem, ad cujus ex fonte sacro susceptionem invitati erant, à suo nomine vocari: idq; cognati unâ voce svadebant. Nihilominus pater, enixæ hujus voluntatis suæ tenax, noluit mutare sententiam; recordatus haud dubiè consilii, quo inductus olim Pater ejus, *M. Casparus Lyserus*, pastor Winidensis in *Sveviâ*, defuncti nostri

avus,

114  
217.15

avus, idem hoc nomen ei imposuisset : sicut hujus facti  
sui rationem ipsemet in Fastis annotaverat, quando filii  
sui nativitate consignavit. Verba digna sunt, quæ cele-  
berrimo huic auditorio commemorentur : Decimus  
octavus Martii, est dies natalis P O L Y C A R P I, filii  
mei, in lucem editi Winidæ, quæ & mea patria est,  
anno supra millesimum quingentesimum quin-  
quagesimo secundo ; Quem POLYCARPI nomen  
referre ideo volui, quòd tum variis ærumnis pres-  
sa Christi Ecclesia, fructificare non desit in exte-  
ris Nationibus, Anglia, Gallia, Hispania etiam,  
atque Italia; conjungens meas preces, quo digna-  
ri me ac meos, ac omnes fideles corroborare,  
Christus velit suo Spiritu, ut instar Polycarpi  
Martyris intrepidè coram mundo ipsum confi-  
teri non erubescamus. Hucusque verba viri pii, acer-  
rimum pro DEI gloriâ studium indicantia.

Sic ergo noster ὁ μακαρίτης, patri suo cognominis,  
ingenuæ fidelisq; disciplinæ auspiciis bono Ecclesiæ ado-  
levit, ac semper hoc egit, ut non ὀμωνύμως & nomine tenus  
tantum vel homo, vel *Polycarpus* vocaretur, sed is esset,  
qui diceretur. Mittimus juventutis tractum, ubi hanc  
plantam Musarum & Pietatis paradisi, hoc est, *Gymnasium  
Misenense, & Academia Vuitebergensis ac Tubingensis* eduxe-  
runt, ad omnia præclara, quòd flecteretur, inclinabilem.  
Modò videamus eam ætatem, cum vir inter viros factus,  
in proscenium Ecclesiæ DEI prodiit : audiamus eum de  
*cathedrâ Theologicâ*, quam eruditis disputationibus & Com-  
mentariis animavit : cernamus eum *Capituli Misenensis*,

B 3

quod

265  
quod variè exornavit, concorporem : æstimemus eum ex  
dignitate *Electoralis Consistorii*, cui per quindecim annos  
assedit: suspiciamus eum in *pastoratio* & *Episcopali officio*, cui  
hactenus præfuit; & fatebimur, eum minimè inane ac  
eventûs exors, sed ex *re* nomen habuisse. Quod enim fe-  
liciter antea didicerat, id magno cum *fructu* postea in of-  
ficiis suis Ecclesiasticis effectui dedit. Lustrabimus initiò  
*Professionem Theologicam*, primùm ipsi oblatam, quæ habuit  
sua progymnasmata, in diversis Academiis edita, quibus  
passim se commendavit, & sensim ad famam aliquam pro-  
fluxit. Nam simulac annò sextò hujus seculi, locum inter  
nostrates Philosophiæ Magistros, habitâ solenni disputa-  
tione, obtinuerat, mox sequenti anno specimen præbet  
Theologicum sub præsidio Theologi pariter & Oratoris  
nominatissimi *D. Georgii Mylii*, disputantis de *Pace Ecclesiæ*:  
qualia ingenii documenta *Tubingæ* compluria post se reli-  
quit. Redux ex *Svevia*, *Vuitebergæ* de mysterio *Prædestina-  
tionis* disputat pro gradu *Doctorali*; quem & anno XI. hujus  
seculi summo cum applausu *Academiæ* illius obtinet.  
Nondum autem potitus hoc titulo, tamen *Doctorem* re-  
apse agere cœpit, sustinendo *Professionem*, ad quam voca-  
tus erat, *extraordinariam*, quâ cum laude functus est per  
quadriennium. Eo temporis intervallo *Psalms Graduum*,  
& *Acta Apostolica* resolvit; pro concione *Epistolam ad Ga-  
latas* tractavit. Domi autem apertâ *Disputationum* palæ-  
strâ, enucleavit undecim *articulos Formule Concordiæ*; Pho-  
tinianas blasphemias de *Prædestinatione* ex verbo *DEI* refu-  
tavit, adornatis insuper ad prelum *tribus Disputationum*,  
*decadibus*, & libri 5. *Harmoniæ Evangelicæ* parte primâ. Ab  
his veluti præmetiis inclaruit viri virtus & eruditio, ut Au-  
lam quoque *Electoralem* suis conatibus Favonium beni-  
gnum

216.5

gnum adspirare sentiret. Hinc factum, ut, cum anno 13. Clarissimus Theologus *L. Johannes Mülmannus* apud. Nos vitâ cessisset, Collegium Theologicum præ cæteris rationem ejus haberet, quòd intelligeret, præsentationem ejus fultam esse firmissimis rationibus, quibus pondus non mediocre addebant *merita parentis*, in Ecclesias harum ditiorum extantia, & patrocinium Illustris ac Generosissimi Viri *Casparis à Schönberg* / Serenissimis duobus Electoribus Saxoniae ab intimioris Senatûs directione: quem non immeritò *Atlantem rerum communium* in hoc Electoratu, & *studiorum Theologicorum accuratum estimatorem, grandemq; fautorem* appellavero. Vix jam advenerant literæ ratihabitionis Electoralis, quâ *Theologia Professor quartus* in hac Universitate confirmabatur, cum ejusdem opera ad similem provinciam in *Academia Borussia Regiomontana* sollicitaretur: Sed maluit ille sub umbra Rutæ Saxonicae talentum suum collocare. Antequam verò principium faceret hujus sui muneris, statim sub initium anni decimi quarti etiam in vivis esse desinit Vir doctrinâ & vitæ sanctimoniam maximè venerabilis, *D. Burchardus Harbartus*, Senior Collegii Theologici, & Præceptor nostri amantissimus. Qua de causa *Polycarpus* ex quarto loco, sibi prius assignato, in *tertium* proventus, obtinuit simul, ut in *Canonicum Cizensem* ab Academia eligeretur. Rari exempli fuit hæc promotio, qualis nonaginta trium annorum spaciò aliis quatuor tantùm obtigit. Nam primis à Luthero repurgatæ Theologiæ Professoribus, *L. Johanni Steubelio, Königshofensi*, & *D. Job. Sauero*, adjuncti sunt, aliunde vocati Collegæ, *Jacobus Schenck* Doctor Vuitebergensis, & *Alexander Alesius*, Nobilis Scotus, ex veteri Alexandri ab Ales, celebris Doctoris Scholastici, familiâ oriundus, qui & in  
facris

217.

facris literis egregiè doctus, & Aquinatis ac Scoti disciplinam perceperat eo fructu, ut, quas illi persequuntur, argutias, à verbo DEI dissonas, ex Scriptura sacra dexterrimè posset elidere. Sanè jam Illustrissimi Ducis Saxoniae, *Heinrici*, mandatu, à sordibus Pontificiis repurgata erat Academia anno superioris seculi trigesimo nono, Mensis Augusti die duodecimo, per *Justum Jonam, Casparum Crucigerum, & Fridericum Myconium*: sed quia cæteris Theologis velamen Pontificium oculos adhuc in multis obtegebatur, defectus iste aliunde fuit supplendus. Et quidem *Caspar Cruciger*, patriâ Lipsiensis, nisi Vuitebergenfi Academiae ad operam Professoriam fuisset auctoratus. Erat enim, teste *D. Wellero*, velut *alter Lutherus*, & magnum illius Universitatis ornamentum, in cuius laudes *Philippus Melancthon*, in tertio Declamationum tomo, præclaram orationem conscripsit, quas & in literis ad *Georgium Fabricium* ipsi tribuit singulari elogio: Fuit, inquit, in *Crucigero* vis ingenii tanta, quantam nescio an in alio animadverterim. Tot lingvas norat, & omnes Philosophiæ partes didicerat, & erat iudicii dexteritas summa: Talis vir in vera Synodo Ecclesiæ de præcipuis controversiis dicere sententias potuisset & debuisset. Sed hæc raritas Theologorum, & paupertina conditio Universitatis nostræ, quæ illam, adegit aliunde accipere, quos ipsa non haberet, paulò post foecundo proventu docentium compensata est. Mox enim anno quadragesimo tertio creati sunt *Doctores* nostrates numero quinque: *Vuolfgangus Schirmeister, Caspar Bornerus, Bernbardus Zigler, Johann Pfeffinger, & Andreas Samuel;*  
inter





116  
218

inter quos præ cæteris eminuerunt, *D. Bornerus* & *D. Ziglerus*; hic quidem è nobilitate Misnicâ, & in scientiâ lingvæ sanctæ, quam in hac Academia ab *Antonio Margarita*, baptizato Judæo, didicerat, multisq; annis Professor docuit, omnibus Hebræis tunc temporis palmam fecit ambiguâ, & Rabbinos solidè convincere potuit: Ille autem, *Bornerum* dico, patriâ Haynensis, præter fidem Academiæ in obtinendo Collegio Paulino, & augenda ejus Bibliotheca, præclarum à *Fabricio* accipit encomium, inter alia sic scribente ad *Julium Pflugium*: Lipsiæ vidi Bornerum, qui ferè nunc solus Academiæ onus & spem literarum sustinet. Maximam etiam huic almæ nostræ matri famam conciliasset *M. Petrus Schade*, cognomento *Mosellanus*, primus, post Richardum Crocum Britannum, Græcæ lingvæ Professor in hac Academia. Hic enim jam anno illius seculi vigesimo, ad *Cursûs*, ut vocabant, *Theologici exercitia*, & vigesimo tertio ad *sententias* legendas admissus fuerat à Collegio Theologico: nec parvam sibi auctoritatem comparaverat oratione, quâ jussu *Georgii*, Saxonie Ducis, gradum quendam paravit ad colloquium Lutheri cum Eccio Lipsiæ Anno 19. habitum. Disputaturos enim monuit, cogitarent, palmam in eo sitam esse, ut absqve acerbitate & pertinaciâ suscepta veritatis cœlestis indagatio summi brabéi loco haberetur: In palæstra enim Theologica vinci humanum, vincere verò, humanarum virium non esse; atqve ideo nec victorem virtuti suæ tribuere quicquam posse; neqve victum ullam dolendi causam habere, quòd victo error, in quem Na-  
C  
tura

219  
turæ imbecillitate inciderat, sic eripiatur: victor  
autem non suum, sed DEI negocium gerat, &  
quod à DEO acceperit, id cum altero tantum ita  
communicet, ut victus, nil, nisi quod nocuerit,  
amittat: Eoq; ipso, quod ab altero confertur, fiat  
melior: proinde & hac in parte vinci, quam vin-  
cere, pio & veritatis studioso longè optabilius  
esse; sicut hujus sermonis momenta notabilia refert in  
Manuscripto, quod de Lipsiâ patriâ suâ reliquit *D. David  
Peiferus*, quondam in aula Saxonica Electorali *Cancellarius*,  
vir Juris & Justitiæ consultissimus, inq; historiis & stu-  
diis humanitatis præclarissimè versatus. Sed non est in-  
stituti nostri, ut licentiùs in hac digressionem evagemur: re-  
dimus ad cæteros, qui aliunde ad Professionem Theolo-  
gicam & Consilium Facultatis sunt adhibiti. Ex his tertius  
in ordine est *D. Nicolaus Selneccerus*, qui *D. Georgio Salmutho*,  
anno septuagesimo septimo in Professionis & Super-  
intendentis officio successit, vir scriptis quamplurimis &  
muniis antea egregiè gestis celeberrimus, qui 15. Octobr.  
pro consequendo inter nostræ Universitatis Doctores lo-  
co, disputationem; ac biduo post, orationem solennem  
habuit, & aliis, quæ Statuta requirunt, peractis, Consilio  
Theologorum adscriptus est. Hoc autem annò octuage-  
simò nonò injuriâ temporum discedere coacto, advenit  
*Christoph. Gunderman*, postea Vuitebergæ Doctor creatus,  
sequioris Theologiæ, quam tunc alii *reformatam*, alii *Cal-  
vinianam* appellabant, propugnator: sed nondum bienniò  
exactò, remotus est locò suò, quem & recepisset *Selneccer-  
us*, nisi morte præventus, hac ipsa in urbe placidè expiraf-  
set, deputatus Visitator harum ditionum in causa Reli-  
gionis.

117  
220.

gionis. *Quintus* itaque inter extraneos Doctores est no-  
ster *Polycarpus*, qui defuncto, ut diximus, *L. Mülmanno*, vo-  
catus est ad Professionem Theologicam ordine *quartam*,  
&, antequam eam obiret, *tertiam*, quæ interea vacare  
cœperat, auctam *Canonicatu Cizensi*, cum *Ephoriâ Alumno-  
rum Electoralium*, consequitur anno 14. hujus seculi; quem  
propterea *Favoris annum* solitus est appellare. Materiam  
*Lectio-  
num publicarum* delegit Articulum de *S. Eucharistia*.  
Restabat verò *completio*, quam vocant, ut Doctoribus The-  
ologis hujus Universitatis accenseri, inq; *gremium* (ita olim  
loquebantur) *Consilii Facultatis* recipi posset. Est enim hæc  
à natalibus Academiae consuetudo observata, ut alibi pro-  
moti, teneantur prius Statutis satisfacere, antequam & nu-  
mero Doctorum nostratum adscribantur, & in Collegium  
Theologicum cooptentur. Possent ex Actis longâ serie  
exempla recenseri, si opus esset. Unum illud in gratiam  
inclytissimæ Nationis *Sveviæ* proferre lubet, ex qua ori-  
undum invenimus *D. Ericum de Upsalia*, cui factis facien-  
dis Theologi locum inter Doctores Lipsenses concesserunt  
anno 1488. Eundem verò in Consilio Facultatis, non  
nisi quadrienni periodò, præstitutis disputandi & legendi  
exercitiis exactâ, Assessorem sibi adjunxerunt. Huic ergo  
antiquo mori & *Polycarpus noster* se promptè submitit, per  
integrum diem disputando de *Cænâ Dominicâ* re terrenâ  
& cœlesti; cui actui 19. Augusti ita præsedit, ut frequentif-  
simi auditorii oculos animosq; in se converteret. Eadem  
gratia fuit orationis, quam vigesimo secundo illius Mensis  
die recitavit: ac postea Proceres Academiae & hujus urbis  
opiparo convivio excepit. His ita peractis etiam in Con-  
silio Theologico adeptus est locum, qui olim titulum hunc  
tribuebat, ut *Magister Theologiæ* quis diceretur, discrimi-

natus à Doctoribus nondum in istud Collegium conscri-  
 ptis. Quantâ verò cum dexteritate & curâ ὀμνασίτης obi-  
 erit munia hæc sua, indicio luculento sunt ejus Commen-  
 tarii, quos in *Formulam Concordiæ & Locos Philippi* concin-  
 navit: In eis enim orthodoxam sententiam perspicuè fa-  
 ciliq; methodo tradidit; Controversias autem sic digessit,  
 ut auditores ad liquidum discere, & uno quasi oculo con-  
 tueri possent illarum fines ac limites: argumenta verò &  
 velitationes heterodoxorum ita perstrinxit, ut manibus  
 palpare possent, nihil aliud tales ratiocinationes esse,  
 quàm araneorum telas, quibus levia quædam ingenia &  
 hallucinatrices naturæ irretiantur, sed firmiter Scripturæ  
 fundamentis insistentes, facilè se expedire queant. Insu-  
 per exercitia, quæ *Alumnorum Electoralium* inspectio requi-  
 rit, per *triennium*, quo huic officio præfuit, usque ad anni  
 17. Mensem Augustum, non sine insigni utilitate bonorum  
 ingeniorum tractavit. Et quanta judicii acrimoniâ fuerit  
 præditus, satis arguunt *Disputationes* ab ipso editæ de Sacra-  
 menti Eucharistici re terrenâ & cœlesti: de persona Chri-  
 sti, adversus Anonymum, qui libello suo præfecerat Titu-  
 lum, *Aureum Clinodium*: de absurda thesi Photinianorum,  
 quòd Christus tempore quadragesimæ in cœlum adscen-  
 derit, ibidemq; Theologiam didicerit: de incarnatione,  
 Christi: de vera Christi præsentia in Cœna: de libero arbi-  
 trio: de Confessione veritatis Evangelicæ: de Regimine,  
 Spiritûs sancti: de coactione ad Religionem: de Fœderi-  
 bus: de Imaginibus: de causa secessûs Lutherianorum ab  
 Ecclesia Papali: Privatim autem elaboravit Analysin Epi-  
 stolæ Paulinæ ad Galatas, duodecim disputationibus ven-  
 tilatam: ut & alteram partem tomi 5. Harmoniæ Evange-  
 licæ, jam dudum typis excusam: Denique vindicias Paren-  
 tis sui adversus Paræum & Pelargum.

Nec

118  
22355

Nec immeritò hîc mentionem facio gravissimarum deliberationum pro Controversiarum compositione, quæ hoc proximum duodecennium non parùm exercuerunt. Venerant enim in disceptationem nonnullæ Quæstiones de Christi *exinanitione*, illiusq; secundùm carnem apud omnes Creaturas præsentia; & aliud *Giessena*, aliud *Tubingensis* Academiae Theologi statuebant. Huic ergo dissensionì ut provisum ex fraternæ caritatis studio præcautumq; in tempore iretur, Saxoniorum Theologorum conventus institutus est Jenæ, eo ipso tempore, quò Frater nostri *Polycarpi*, Clarissimus Theologiæ Licentiatus *Vuilhelmus*, insignia Doctoris capessebat, anno 21. Aderant ibi Doctores numerò duodecim, ac sententias suâ directione moderabatur Serenissimi Electoris Saxoniae Theologus primarius & Consiliarius Ecclesiasticus, *D. Matthias Hoë ab Hoënegg*, non tantùm Electorali legatione, quam obibat, sed & autoritate, sapientiâ, meritorumq; famâ cæteris omnibus superior. Inter alia rei Christianæ libranda momenta judicabatur etiam bonum fieri, si consilium Theologicum ederetur de perturbata re monetaria, ac Harmonia Evangelica, à Phœnice Theologorum Chemnitio cœpta, & à Polycarpo Seniore, nostroq; defuncto continuata, per texeretur: Quod utrumque onus sibi passus est imponi summus vir, & DEI beneficiò ad hæc tempora natus, *D. Johannes Gerhardus*, Aulae Coburgicæ per annos complures à Consiliis Ecclesiasticis; idq; non minore cum utilitate, Ecclesiæ, quàm laude suâ feliciter expediit. Quod autem caput Consultationis erat, censebatur oportunum remedium sopiendi controversiam prædictorum Theologorum, si eam arbitrio Saxoniorum deferrent concilian- dam, præsertim cum verbis tantùm dissidere, in sententiâ

verò adhuc consistere crederentur. Sed quia conditio hæc alteri parti minùs arridebat, certamen illud intendi cœpit, ut jam timendum esset, ne in nervum tantùm, sed in perniciem quoque Ecclesiæ erumperet. Circiter idem tempus extitit etiam *Prutenicum dissidium* de Naturâ & efficaciâ verbi divini, & Dantiscanam Ecclesiam non mediocriter perturbavit, ut nonnullas etiam Academias implicaret. Denique nemo vestrûm ignorat, quàm falsis accusationibus sangvinarii Jesuitæ Nos hæctenus opprimere voluerint, quasi à *Confessione Augustanâ* secessionem fecerimus, & hoc obtentu improbè contenderint, Pacificationis Religiosæ beneficiô Protestantes ampliùs frui non posse. Ut autem salutare tantis malis remedium adhiberetur, Serenissimus Elector noster Theologos bis Dresdæ, quinqvies verò Lipsiæ congregavit, ut collatis ultro citroq; sententiis ederetur in publicum, quid Ecclesiæ sub Electoratu Saxónico de capitibus fidei supra nominatis docerent: & quam nullam causam haberet factio Jesuitica mutationem Augustanæ Confessionis nobis imputandi, & pacem Religionis, in his fundamentis quassam, cum præsentissima ruina Sacri Romani Imperii extirpatum eundi. Qua vel solâ providentiâ & sollicitudine piâ Serenissimus Elector grandem solidamq; gratiam iniit ab universis Augustanæ Confessionis invariata Sociis, ut omni gloriâ & incremento florentem diutissimè rebus humanis interesse voverent, ejusq; salute suam felicitatem & omnium bonorum vota continere existimarent. Prodiit ergo in lucẽ *Decisio* Controversiæ, inter Academia Tubingensis & Gieffenæ Theologos ortæ, & hanc secuta est *Apologia*, Tubingensium admonitioni opposita. Eucleata etiam fuit doctrina de Natura & efficacia verbi divini, eaq; ipsa nutu & autoritate

Sere-

19  
224

Serenissimi nostri Electoris typis publicata est. Denique adversus Jesuitas edita *Necessaria Pupilla Evangelicorum Ordinum Defensio*, & tanto cum fervore excepta est, ut, licet sexies excusa, vix tamen haberentur Exemplaria, quæ viderent. Tandem *palmaris Apologia Pupille* illius emissa, caninam maledicentiam *Foreri* & criminationes *Dillingensium Legulejorum* sic retudit, ut jam eventu edocti, videant nimis præcipitanter se mysteria iniquitatis divulgasse. Quæ & id genus alia Scripta nostratia priusquam juris communis fierent, in conventibus dictis accuratè sub disquisitionem venerunt: ad quam noster *ὁ μακαρίτης* utiliter sua quoque consilia unà cum aliis ad hoc deputatis contulit. Ipsam autem Consultationem direxit Vir in Ecclesia DEI reverentissimè habitus *D. Matthias Hoë ab Hoënegg*, cujus etiam stylum & genium facilè omnibus referunt universa illa jam memorata monumenta, singularem zelū, animositatem piam, & dexteritatem judicii spirantia. Denique cū Serenissimus Elector ex hac urbe, atque Vuitebergensi & Jenensi Academia, Theologos & JCtos aliquos conscriberet, ut dispicerent de arduâ quadam causâ, in qua Ecclesiæ & Electoratûs hujus salus versabatur, etiam nostri *τὸ μακαρίτης* operam requisivit. His omnibus Consultationibus ita interfuit, ut se prudentiâ Theologicâ non tinctum, sed insigniter imbutum esse demonstraret.

Satis opinor vidistis, quem virum habuerit Cathedra & Facultas Theologica hujus Universitatis in *Polycarpo nostro*! Nunc dignitatem ejus contemplemur, quæ Professoris munus comitata est in duorum *Episcopatum Capitulis, Cizensi & Misnensi*, quorum, ad præviam consilii quatuor apud nos Nationum Electionem, factus est membrum. Gaudet enim Academia nostra singularibus his  
cime-

cimeliis, ut perpetuâ concessione Papæ *Johannis XXIII.* à *Carolo V. Cesare,* & *Mauritio* atqve *Augusto Electoribus* rati-  
habita, in Episcopatibus hujus Electoralis territorii ha-  
beat sex Canonicatus; & his vacantibus possit eligere alios  
partim Theologos, partim Juris antecessores. Et quidem  
*Johannes XXIII.* duo loca in *Misnensi*, alia duo in *Numbur-*  
*gensis*, totidemq; in *Cizensi* Ecclesia ad alendos Professores  
Theologiæ & Juris destinavit. Postea verò successor ejus  
*Martinus V.* anno 1422. cùm controversia inde extitisset,  
precibus *Friderici* Ducis Saxoniae motus, litem sic diremit,  
ut duo Canonicatus ex *Misnensi*, totidemq; *Merseburgensi*,  
unus verò *Numburgensi* Episcopatu, itemq; alius in Colle-  
giata *Cizensi* Ecclesia concederentur. Accesserunt insuper  
insignia Privilegia, ut ex dictis Facultatibus delecti Profes-  
sores à Capitulis illis recepti, non obligentur ad pecuniæ,  
quam alii pro receptione ex Statutorum præscripto nu-  
merare tenentur, solutionem; ad personalem residen-  
tiam, aut succedaneam à minoribus ad majores promo-  
tionem; sed in primo ingressu pro emancipatis habeantur,  
qui cum cæteris æqualiter participant. Maximè ta-  
men in *Misnensis* Ecclesiæ Capitulo hæc jura Academia  
nostræ sunt salva, ut præsentati Theologi absque ullius  
grossi impendio recipiantur, & ad officia quoque ac digni-  
tates admittantur. Non quidem in transcurso & obiter fa-  
cienda est hujus observantiæ, prisco mori consonæ, com-  
memoratio; sed alibi exactam requirit plenamq; com-  
mendationem: Unum tamen & alterum ejus exemplum  
tacitus præterire non possum, ut etiam in hoc honoris  
templò laudes inclyto istius ingenuæ Ecclesiæ Capitulo  
debitæ appendantur. Extat in Catalogo Episcoporum,  
*Misnensium Johannes Hoffman*, qui cùm *Academiae Pragensis*  
Rector



120  
226.

*Rektor* esset, ob intestinas discordias dissipatis Studiosis inde cum *Johan Ottone*, *Monsterbergio*, postea Universitatis nostræ Rectore primo, *Lipsiam* concessit, anno Christi 1408. Nam Elector Saxoniae *FRIDERICUS*, instinctu *Vincentii Brunneri* Lipsiensis, illà ætate celebris Theologi, exulibus Musis gratum suffugium promiserat. Hic *Hoffmannus*, positus anno 1409. studii publici fundamentis, & ab *Alexandro V.* pontifice impetratis privilegiis, munus Professionis Theologicae consecutus, & vigore concessionis Papalis, *Canonicus Ecclesiae Misnensis* factus, tandem ad fastigium Episcopalis dignitatis pervenit: de quo ista in Archivio Capituli reperio: Johannes de Sweideniz, dictus Hoffman, S. Theol. Doctor, Ecclesiae Misnensis Episcopus 36. electus anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto: inter omnes Theologos Concilii Constantiensis nominatissimus est habitus: defunctus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Non minus memoratu dignum est exemplum *D. Johannis Henning* Haynensis, in hac Academia Professoris publici, qui doctissimus *Canonicorum* est judicatus, & in Funeracione *Alberti* Ducis Saxoniae, Anno 1500. cum omnium admiratione peroravit. Quæ ipsius dotes Decani dignitatem, cui longo tempore præfuit, ipsi conciliarunt. Dum autem in hoc suo officio fuit, Collegio Theologico & Philosophico nostræ Universitatis in obtinendâ Brixienfis Episcopi munificentia, Capitulo verò Misnensi structurâ ædium Decani monumentum insigne reliquit. *Epitaphium* ejus adhuc legitur *Misena*, in templo Cathedrali ad parietem, versus Meridiem; quod ita habet: Soli Deo honor! Vi-

D

vens

vens hoc ipse F. F. Johannes Henning, S. Th. D.  
 hujus Ecclesiæ Misnens. Decanus: J E S U Christe  
 adoro te, Anno Domini M. D. XXIII. In ma-  
 nus tuas commendo spiritum meum: Miserere  
 mei. Ad idem ejus sepulchrum se hos versus legisse refert  
*Fabricius:*

Ave Pater Rex, Creator,

Ave Fili Lux, Servator,

Ave Pax & Caritas:

Ave simplex, ave Trine,

Ave regnans sine fine,

Ave summa Trinitas!

Unde patet, superstitionis, sanctos religiosè venerantis,  
 caliginem ipsi per stricturas Evangelicæ lucis jam fuisse  
 discussam. Quam autem promptitudinem olim demon-  
 stravit Academiæ in recipiendis Professoribus Theologis,  
 ejusdem tenorem adhuc æternâ suâ cum laude servat præ-  
 dictum Capitulum, ut à consuetudine priscâ ne latum un-  
 gvem recedat. Nimirum sic testantur viri nobilissimi  
 suam erga Deum pro Theologorum fidorum in his terris  
 concessione gratitudinem; & sanctam custodiam ultimæ  
 voluntatis Majorum, qui largitate suâ huc in primis colli-  
 marunt, ut religio Christiana propagaretur, & ejus Docto-  
 res talibus retribus alerentur. Sic adhuc tuentur & titu-  
 lum, quo *Reverendum* nominatur ipsorum Capitulum; &  
 statum, quem à Canonicâ scripturâ appellatio *Canonico-*  
*rum* designat, sic ex rei veritate Ecclesia illorum *Cathedra-*  
*lis* vocatur, quia Collegas habet, qui ex professo tractant  
 Theologica, & scripturam *Canonicam* interpretantur pro  
 Cathe-

129  
228

*Cathedra.* Hac itaque de causa & POLTCARPO nostro locum suum in Capitulo summâ cum lubentiâ assignarunt, Anno 17. quando Academia post obitum viri celeberrimi *D. Georgii Vveinrichii* petiit illius, à se in *Canonicum Misnensem* electi, receptionem. Ab eo tempore ita se horum Patronorum animis virtute suâ insinuavit, ut corditus diligenter eum. Unde & anno 28. die 21. April. ad subjectissimam illorum intercessionem à Serenissimo Electore facta ipsi est accessio ex dignitate, quæ olim ad Cantoris officium pertinebat. Seqvente anno iterum prolixum illorum favorem cognovit, quando ad *Præpositi* eminentiam evecto, Nobilissimo Viro, *Job. à Miltitz in Pristeblich* hæreditario, successit in Senioris dignitate: cujus inter alia partes sunt, ut *Decani* absentes vices gerat. Has & ille sustinuit egregiè, cum Nobilissimo viro *Dieterico à Schönberg* adversâ valetudine & senectute confecto, datus optio, succollare ex officio fuit adstrictus. Quæ ratio fuit, ut post obitum *Schönbergii* tantò procliviùs iremus in hæc vota, quibus in *Decanum Ecclesie Misnensis* est electus 13. Octobris anni trigesimi primi. Eodemq; die ipsum more antiquo inauguravit Capituli Præpositus *Johannes Miltitius*, dignus, quem nunc iterum honoris causâ nominem, ceu viris eruditissimum Patronum, & tali ortum stemmate, unde semper Reipubl. ingentia columina prodierunt, ac hodie quoque per Dei gratiam supersunt. Atque ita POLTCARPUS noster intra ducentos & viginti tres annos, quibus hæc Academia per Dei gratiam stetit, *secundus* fuit ex numero Professorum Theologiæ Lipsensium, qui ad insignem illam eminentiam Decanatûs sunt evecti. Quamdiu autem *ὁ μακαρίτης* noster Capitulo huic interfuit, ea, quæ sibi incumbabant, ritè ac graviter expediit. Examina

229. 55  
Pastorum, Capitulo in generali ejus conventu sese sistere, solitorum, magnâ cum autoritate peregit: rationes, ab officialibus exhibitas, ad calculum accuratum revocavit: in Comitibus ordinum hujus Episcopatus postulata Serenissimi Electoris gravitate singulari edisseruit, stipendiis & eleemosynis distribuendis sedulo attendit, jura Capituli pro virili suâ defendere studuit: & pro rebus ejus excubuit: in primis sollicitus, ut proximo abhinc biennio, quo in hunc Electoratum ferociens hostilitas irrupit, & vastitati passim cuncta dedit, in tuto esset archivum & privilegia Episcopatus, & fabricæ res, quoad ejus fieri posset, facta tecta permaneret.

Parem fidem ac dexteritatem experta est & *Ecclesia Collegiata Wurcensis*, in cujus *Capitulum* anno 28. die 23. Apr. fuit receptus; ut nunquam stationem suam indecoratam relinqueret. Factus tandem in eodem *Præpositus*, omni ope conatus est jura illius Ecclesiæ recuperare, asserere & conservare, ac quomodocunque potuit ei inservire, nunquam ullum laborem subterfugit. Hinc adeo factum, ut omnes, utriusque Capituli necessitudine sibi devincti, ingenti ejus etiam ab exequiis desiderio afficiantur.

Pergendum nunc est ulterius, & qualem se in *Consistorio Electorali* gesserit, paucis exponendum. Patuit enim & in hoc officio amplissimus ipsi campus de publico Bono merendi. Nam quis nescit, Consistoria esse Judicia Ecclesiastica, in quibus causæ, pertinentes ad Ecclesiæ personas, res, ac dotalia, patronatus, atque matrimoniales casus, & id genus aliæ, nomine supremi Magistratus deciduntur? Estque inter beneficia divina & hæc ingens gratia, quod *status Protestantes* in suis ditionibus, utramque Jurisdictionem exercent, unam *secularem*, jure territorii; alteram

ram

2305  
ram *Ecclesiasticam*, quam lege fundamentali Passaviensis  
sanctionis non tam acceperunt, quam recuperarunt, ty-  
rannide Pontificis Romani ademptam, sibi autem debitam  
ex potestate publicâ, quam *Philosophus ἀρχιτεκτονικήν*, alii  
*νομοθετικήν* vocant, quæq; ambitu suo continet guberna-  
tionem non tantum politicam, sed etiam Ecclesiasticam  
externam, à qua *Constantinus Magnus* agebat, se esse *Episco-  
pum extra Ecclesiam*, id est, imperare ac sancire Leges pro  
Ecclesia. Noluerunt tamen Evangelici hæc potestatis ge-  
nera promiscuo usu confundi, sed diverso Senatu expedi-  
ri, ut altera alteram non turbaret, sed potius mutuis admi-  
niculis juvaret; Id quod etiam sibi cordi habuit *Augustus*  
*Saxoniae Dux*, cum vivo adhuc fratre *Mauritio* Electore ad  
Præfulatûs Martisburgici administrationem postularetur,  
anno quadragesimo quarto, die 14. Maji. Nam Illustris-  
simo Dn. *Georgio*, Principi Anhaltino, omnem rerum Ec-  
clesiasticarum directionem commendavit, quod esset per-  
sona Ecclesiastica, non tantum Senior illius Capitali, sed  
etiam Magdeburgensis & Misnensis Præpositus; atque ex  
professo Theologus. Quapropter *Anhaltinus* anno 44. su-  
perioris seculi, Consistorium instituit *Martisburgi*, & Asses-  
sores delegit *L. Musam*, *D. Christophorum Zobelium*, *Erne-  
stum Brotuffium*, & *Osvwaldum Röderum*: Protonotarium  
autem adscivit *M. Röffschneiderum*. Gesta fuit hæc guber-  
natio felicibus auspiciis & magna cum autoritate: Unde,  
& penes illam *Ephoria* Ecclesiarum in ditionibus hæredi-  
tariis circuli *Thuringici*, *Lipsiensis*, & *Zwickaviensis* reman-  
sit. Sed enim Episcopalis hæc administratio Ducis *Georgii*  
vix sexennium duravit, injuriâ istorum temporum: Nam  
post Bellum Germanicum, & à *Carolo V.* Imperatore ob-  
tentam in *Confinio Mülberga* victoriam, paulatim incli-

nare coepit, cum promulgata Sphynge Interimistica *Augustus* Dux Saxoniae administrationem suam resignaret, anno 48. die 2. Octobr. Tunc enim Caesar Carolus *Michaëlem Hellingum*, cognomento *Sidonium*, singulari gratia ad Episcopale fastigium promovit, & postulationem ex nutu suo à Capitulo factam confirmante *Julio III. Pontifice Rom.* solenniter anno 50. Regalibus illius Caesarei Episcopatus investivit. Qua facta mutatione *Anhaltinus* discessit, relicta protestatione, ne quid in Religione & jam introductis Ceremoniis mutaretur. Simul autem fidei *Röffschneideri* commisit novam ordinationem Ecclesiasticam, Actaque; universa & Inventaria, quae ad haereditarias Electoratus regiones pertinebant, *Mauritio* Electori commodè restituenda. Eo tempore *Mauritius* comitia provincialia celebrabat *Torgae*, quò profectus *Röffschneiderus*, interioris Aulæ Consilia de negotio hoc sciscitatur: eaque; re ad Electorem delata, in mandatis accipit, ut *Lipsiam* transferat, quae penes se haberet monumenta. Hac itaque occasione *Consistorium Lipsense* est apertum, & jurisdictioni Ecclesiasticae praefecti sunt duo Theologi, totidemque; Jcti, qui, sicut *Peifferus* in Lipsia sua loquitur, tanquam *veteris disciplinae Magistri*, ministrorum Ecclesiae mores regerent, in vitia inquirerent, & de Controversiis rerum sacrarum, locorumque; religiosorum, ac matrimonialibus causis pronunciarent. In hoc ergo Judicio Ecclesiastico Beatus noster *Polycarpus* locum obtinuit die 11. Julii anno 17. ac decedentibus ex hac vita, qui tunc erant, Assessoribus reliquis, anno 28. *Senior* factus est. Ita verò & in hoc officio se gessit, ut ab omnibus Collegis à fide, industriâ, taciturnitate, concordia & candore animitus diligeretur. Quicquid enim potuit ad omnem diligentiam, non intermisit praestare, ut rebus

com-

122  
2325

communibus usum sui elargiretur. Possunt hoc probare documenta omnibus nota: exploratio Candidatorum ministerii de necessariis ad officium publicum profectibus: cautio sollicita, ne scholastica munia capefferent ad juventutem docendam inepti: vigilantia pro sacris ritibus & decoro in Ecclesia: pastorum juxta Constitutionem Ecclesiasticam confirmatio, aut si opus fuit, suspensio ac depositio: consiliorum salutarium in casibus intricatis communicatio: jurium Ecclesiae & ritualium ordinationum tuitio, aliorumq; in illo judicio tractari solitorum negotiorum circumspecta prudensq;, sociâ cum reliquis Assessoribus ope, tractatio. Volupe quoque ipsi fuit, ex fœcundo & facundo agro doctrinae suae publicae prae paratos subinde quosdam videre, qui à Domino messis ad sacros ordines vocarentur.

Restat adhuc unum genus meritorum, quod *Superintendentis* functione probavit Ecclesiae; & ipsum valde conspicuum. Si enim *S. Gregorio* in pastore suo credimus: *ars artium & scientia scientiarum est animarum Regimen*. Seculum jam minùs septem annis præteriit, ex quo, ductu & auspiciis Lutheri, abolitæ sunt in hac urbe superstitiones Pontificiæ, & ad ordinarium præconium Evangelii vocatus est *D. Jobannes Pfeffingerus*, primus Superintendentens, qui in reformatione Ecclesiarum oppidanarum cum *Justo Jona, Casparo Crucigero, & Friderico Myconio* adhibitus erat: vir magnæ autoritatis, qui gregem Domini singulari curâ & moderatione, usque ad annum superioris seculi septuagesimum tertium, in hac urbe rexit. Ei in officio surrogatus est *Heinricus Salmuthus*, S. Theologiæ Doctor & Professor publ. celebris à peritia & svavitate concionandi, qua pœnitentiæ aculeos & vividam solatii vim in animis auditorum

torum relinqvebat: cui post exactum triennium defuncto  
 successit anno sexagesimo septimo *D. Nicolaus Selneccerius*,  
 qui velut oculus erat Lipsiæ, & acerrimus doctrinæ Luthe-  
 ranæ adversus Calvinum & Bezam hyperaspistes. Quartus  
 in hoc munere fuit *D. Vuolffgangus Harderus*, in S. Patrum  
 lectione versatissimus: quo dimisso, per biennium sedes  
 hæc vacavit: donec anno nonagesimo quarto ad eandem  
 functionem eveheretur *D. Georgius Vucirichius*, ob elo-  
 quentiæ suavitate velut alter *Chrysostomus*. Sextum  
 huic muneri annò 17. hujus seculi præfectum optimè no-  
 vistis *D. Vincentium Schmuccium*, historicum insignem, &  
 Paulinò spiritu in dicendo astrictiorem, sed ad intima  
 textuum Biblicorum viscera penetrantem. Septimus au-  
 tem *Superintendens* hujus urbis anno 28. constitutus est  
*D. Polycarpus*, quem die 26. Augusti solenniter investivit  
 Nobilissimus & Magnificæ autoritatis Theologus *D. Mat-  
 thias Hoë ab Hoënegg*, quem ille reverentiùs æstimare non  
 poterat, quàm si *patris* nomine locoq; coleret venera-  
 bundà cum observantiâ & obsequiis. Quæ autem hujus  
 ardui muneris propria sunt, ea ipsa piè defunctus curæ ha-  
 buit quàm maximè; ut vigilaret pro animabus, & earum  
 saluti unicè incumberet. Nam Episcopus, qui *Ambrosio*  
 lib. 1. de dignit. Sacerdot. c. 6. *Superinspector*; Hieronymo  
 epist. 85. *Superintendens* dicitur, ab officii ratione nomen  
 habet, quòd debeat *superintendere gregi*, ut *Augustinus* lib.  
 19. de Civit. Dei c. 19. loquitur. Ideo *Bernhardus* libr. 2.  
 ad Eugenium testatur, non esse hunc locum otii, aut con-  
 quirendi divitias, vel rumusculos famæ aucupandi, sed  
 strenui laboris: *Blanditur*, inquit, *cathedra? specula est:*  
*indeq; superintendis, sonante tibi Episcopi nomine non domi-*  
*nium, sed officium.* Ad disciplinam militiæ plurimum  
 inter-



V.B.  
234.

interesse censet *Titus Livius*, ut insvescat miles, non solùm  
partâ victoriâ frui, sed si res etiam lentior sit, pati tædium,  
& quemvis seræ spei expectare exitum: si non sit æstate,  
perfectum bellum, hyemem operiri, nec sicut æstivas aves  
statim autumnò tectare, recessum circumspicere. Simi-  
liter hic *miles JESU CHRISTI* sibi faciendum duxit, & obsti-  
natos gladio verbi divini adortus, omnem movit lapidem,  
ut expugnaret impietatem, nec remisit de rigore commi-  
nandi vindicem iram DEI, sed tempestivè, intempestivè  
institit. Erant aliqui avari, depeculatores, usurarii, ra-  
ptores, illiberales; audiebant, se non Deum attinere, sed  
Mammonæ esse mancipia; ex pecunia Deum sibi facere,  
cui confidant; similes esse porcis; quod animalium genus  
nulli unquam usui est, quamdiu vivit: sed ubi vivere desiit,  
nihil est in ipso, quod non aliquod præstare commodum  
possit; etiam intestina ipsius, etiam setæ: Similiter im-  
puros ganeones, adulteros, & omne ævum ebrietate lu-  
xuq; transigentes increpabat, reos sacrilegii arguens, quod  
corpus animamq; Spiritûs sancti dedicandam habitatio-  
ni, turpiter profanarent. Et quoties exaggeravit prodigia  
stagnantium sanguine aquarum, & insolitorum in aëre,  
phasmatum, ut certissima signa pœnarum nobis immi-  
nentium? Quoties perstrinxit variegatos modulos vesti-  
tûs, & superbiæ molimina insolentia? Quoties deplora-  
vit justiciæ deliquia? Quoties cadentes de genis viduarum,  
reclusis suis defraudatarum, lacrymas acerbis monstravit?  
Quoties vagitus quiritatusq; orphanorum, super iniqua  
bonorum suorum ereptione excitatos, ad commiserationem  
repræsentavit? Quoties alia peccata, in cœlum  
clamantia, & futura cordis verbera obtusis auribus pecca-  
torum inculcavit? Sed & in aliis partibus, quæ homini

E

Dei



Dei incumbunt, sollicitius nihil habebat, sive docendi, sive consolandi, sive admonendi locus & usus esset. Non sic aurantia poma suo aspectu oculos, sive volentia olfactum, succo palatum oblectant, quam ille animos auditorum afficiebat, dignus elogio Salomonis Proverb. c. 25. v. 11. *Velut mala aurea cum figuris argenteis verbum dictum commode.* Erat enim *natura factus ad dicendum, non tantum arte*: & sive viloquentia sua quasi irrepebat in animos, sed citra ullum palpum iniquitatis, & sedatis affectibus leniter saeviebat. Hinc & *Serenissimus Elector noster, aliique Proceres*, in conventu Evangelicorum anno 31. libenter illius praeconio aures accommodarunt. Nec parvam reportavit gratiam a *Serenissima Regina Sveciae*, coram qua sub initium superioris anni aliquoties concionatus est, heroina sine exemplo pientissima. Ut vero nihil efficacius penetrat in animos hominum, & ad intimos sensus permanat, quam exempla: ita concionibus ejus magnum pondus accessit ex *vita sanctimoniâ*; quasi non tantum verbis, sed & factis docere, ac praedicando simul & vivendo animas lucrari satageret. Inprimis erga pauperes atque exules prompta condolentia se facilem praebat, non passus ullum a se tristem abire, quin intercessione, commendatione, aut muneribus juvaret, nihil moratus, si quidam ex iis indigni essent; cum & limpida aqua, suis diffusa rivulis, non preciosas modo, sed etiam viles herbas, & urticam irriget; adeoque Deus ipse oriri Solem suum sinat super Bonos & malos. Quapropter quoslibet admittebat, ut *edes ipsius velut commune quoddam asylum, essent paupertatis*, cujus fores quotidie sollicitabantur: ac nequis eorum, quibus publica eleemosyna colligebantur, se praeteritum aut defraudatum esse, conqueri posset, ipse

ipse distributioni pecuniarum præfuit, non sine multi temporis impendio.

Facilè intelligitis, *Auditores*, me summa tantùm capita laudum, quibus maclandus erat ὁ μαχαρίτης, jam attigisse, quarum cumulus longè major ampliorq; fieret, si etiam ambulatorias dignitates ejus ac munia persequi vellem. *Decani Theologici* munere jam sextà vice fungi cœperat, & quidem eâ industriâ, fide, atqve autoritate, quam locus hic requirit in censendis scriptis prelo subjiciendis, in directione publicarum disputationum, collatione honorum, dispensatione salariorum, & maximè in decidendis quæstionibus Theologicis, & casibus Conscientiæ, qui ad Collegium nostrum afferri solent. *Academia fasces* bis gessit proprio nomine: tertiâ vice Illustrissimo & Generosissimo Principi, *Janusio Radzivil*, S. R. Imperii Principi, Duci Birzarum & Dubinkorum, Rectori Magnificentissimo, adjunctus fuit, qui vices illius gereret. His accessit *Præpositi Magni* officium, quo veterum trium Academiae villarum administratio ad ipsum fuit devoluta, inspectio Mensarum communium, Præsidentus Collegii Paulini, ex quibus illà rem œconomicam, istò autem structurarum refectionem, & inquilinorum gubernationem sibi commendatam habuit, tanquam unus ex *Decemviris*, quorum Collegio undecennium iaterfuit. Denique & *Præpositum* aliquoties egit in *minore Principum Collegio*, & alia, quæ ipsi, nomine illius, incubuerunt, magnâ cum utilitate peregit, memor foundationis primigeniæ, qua Collegiati sunt constituti vigiles custodes disciplinæ, inquilinorum studia moresq; dirigentis.

Dum autem his & aliis sibi commissis expeditionibus operam dabat, longè aberat ab iis, qui nihil pensi ha-

bent præter seipfos, gloriæ animalia, & popularis auræ mancipia : sed unicum sibi præfixum scopum tenebat: *DEO parere, & rebus communibus strenuè inservire* : Ideo & symboli loco usurpabat Apostoli verba Rom. 12. v. 11. *STUDIO NON PIGRI*.

Sic ergo fuit *POLYCARPUS*; sic nominis sui significantiam implevit; sic Patrem facie, nomine, & meritis repræsentavit. Quid dico Patrem? Altiùs, si vultis, ascendite, & ipsâ canicie venerabilem primitivæ Ecclesiæ Doctorem & Martyrem, *S. POLYCARPUM*, intuemini, annon exemplum ejus imitatione laudabili expresserit? *Sanctus Polycarpus* fuit acerrimus osor hæreticæ colluvionis, & Marcioni obviam factus, rogatusq; : *Agnoscis me, Polycarpe?* masculum responsum dedit : *Agnosco te primogenitum Satanae*, uti ex Irenæo refert *Eusebius* libr. 4. historiæ cap. 13. Nostro *POLYCARPO* eadem fuit mens, idem zelus, in perfecto odio hæresium. *S. Polycarpus* de seculi sui neqvitia & scandalis conqvæstus, sæpe in hanc tristissimam vocem erumpebat : *O Domine ! in quæ tempora nos reservasti?* Non mediocri dolore & nostro *Polycarpus* afficiebatur ob scandala multò majora præsentis ætatis, quæ pleno cursu homines se in æternum exitium præcipitant, & populus DEI variis miseriis, Sinoniis machinamentis, ac tragicis infestationibus exagitatur. *S. Polycarpi* solidam pietatem, & in promovendâ DEI gloriâ hominumq; salute ardorem, insignibus elogiis extollunt *Smyrnenses* in epistola, quam de Polycarpo suo Episcopo circularem singulariter scripserunt. Idem testimonium & *Lipsiensis Ecclesia* debet nostro *Polycarpo*, nisi veritati vim inferre velit, æterno suo cum pudore. Deniqve *S. Polycarpus* nullâ se ratione à vera fide dimoveri passus est, sed constanter Salvatori

vatori

(25)  
238.

vatori suo adhæsit : qui & stadium martyrii jam ingressu-  
rus, cœlitus audivit vocem : *CONFORTARE, POLYCARPE,  
AC VIR ESTO !* sicut in dicta Epistola, lectu dignissimâ  
Smyrnenses, oculati Testes, memorant apud Eusebium  
lib. 4. histor. cap. 14. Similiter se in angustiis superioris  
biennii, cùm *Lipsia* nostra obsidioni periculosissimæ ex-  
posita, in potestatem hostium veniret, & miseri cives vix  
spiritum servare incolumem, ac precariam animam reti-  
nere possent, acerbis indictionibus redimendam, ipse,  
virum se præstitit, & auditoribus suis bono exemplo ad  
spem & patientiam Christianam commasculatâ fronte,  
præivit, omninò paratus, si DEO suo videretur, ipsam  
mortem propter veritatis cœlestis præconium obire. Sed  
placuit DEO tunc illum quidem incolumem servare, *ut ne  
quidem de capite pilus decideret* : quibus verbis divinam tui-  
tionem ipse prædicabat in literis datis ad Clarissimum vi-  
rum, *L. Johannem Müllerum*, Hamburgensis Ecclesiæ ad  
S. Petri honoratissimum Pastorem, utriusque nostrum  
amicissimum. Postea verò nonnihil sedatis hujus loci  
periculis, ex hoc rerum humanarum motu metuq;, pla-  
cidæ mortis accersitu, ad æternam quietem transiit. Nunc  
autem, usque mortem fidei, corona gloriæ data est, quâ  
post labores, curas, anxietates, æternùm redimitur. In  
terris autem nulla oblivio exteret res ab ipso gestas : fama  
post cineres, & corpore ad humilem pulverem deducto,  
perennabit : nec sepulchrali marmorì veriùs incidi potest  
*elogium*, quàm hoc : *POLYCARPUS THEOLOGUS, DUM IN  
VIVIS ERAT, IN OMNI OFFICII SUI PARTE VERE POLYCAR-  
PUS : hoc est, BONO ECCLESIAE NATUS.*

Nos, qui scimus, animam ejus jam in fasciculo vi-  
ventium ad gloriosam corporis resurrectionem servari,  
extre-

extremum *vale* beatis Manibus dicimus; & Successoribus hanc mentem à DEO precamur ac gratiam, & ut ipsi, variis donis instructissimi, prolixam voluntatem afferant serviendi Ecclesiæ, quibuscunqve in statione istâ excubiis opus fuerit.

Quod restat, Amplissimo huic Confessui, & circumfusæ Studiosorum Coronæ, gratias ago decentes, quòd hoc meum non doctrinæ aut eloquentiæ specimen, sed supremæ humanitatis officium, amico triginta sex annis conjunctissimo, Collegæ, Compatri, & Fratri nuncupatum, voluerint suâ benevolentia prosequi, & præsentia conspectius reddere. Ubi ubi erit iterum gratificandi locus & usus, operam dabo sedulam, ut huic promptitudini vicem dignam rependere queam.

E I N I S.



240



24A.

Zc 5083 ~~OK~~

1077

M.C.





OK. 256

ORATIO

Supr

Viri

D. POL  
LY

Theologiae Profes  
Episcopatus Misi  
Ecclesiae Lipsiens  
PRÆPOSITI VV

hoc 1633.


in testimoniu

HEINRICO H

Doctore &



Typis GR



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta



Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



X 2055A 16

